



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

AGBOVILLENSENSIS*

NOVA IN LITORE EBURNEO CONDITUR DIOECESIS AGBOVILLENSENSIS APPELLANDA.

Vigili cum cura nitimur ut catholica fides in dies effundatur et universas orbis ecclesiales communitates efficaciter complectatur. Qua de causa Nostram huiusmodi convertimus mentem ad ecclesiam Yopugonensem in Litore Eburneo. Quoniam a Nobis petatum est ut haec dioecesis divideretur ad novam condendam ecclesiasticam circumscriptionem, hisce precibus libenti animo annuimus. Itaque, sententiam excipientes Congregationis pro Gentium Evangelizatione, favente huic rei Venerabili Fratre Mario Roberto Cassari, Archiepiscopo titulo Truentino et in Litore Eburneo Apostolico Nuntio, quae sequuntur decernimus et iubemus. Territorium districtuum civilium, qui vulgo appellantur Agboville, Adzopé et Tiassalé, a memorata dioecesi Yopugonensi abstrahimus, et ex eo novam dioecesim, Agbovillensem appellandam, constituimus. Hanc dioecesim Metropolitanæ Ecclesiae Abidianensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam declaramus. Episcopalem eius sedem in urbe vulgo Agboville statuimus ibidemque exstans templum, Deo in honorem Sancti Ioannis Baptistae Vianney dicatum, ad gradum et dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus, cunctis additis iuribus et privilegiis quae ad id genus sacras aedes pertinent. Cetera vero secundum canonicas leges adimpleantur. Haec quae statuimus perficienda committimus Venerabili Fratri Mario Roberto Cassari, quem supra memoravimus, vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis ibidem curatori, necessarias tribuentes et oportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplar peractae executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum die quarto decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo sexto, Pontificatus Nostri secundo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IVAN card. DIAZ

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Brennus Chestle, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCVIII (2006), n. 11, pp. 785-786 © Copyright 2006 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana